

1295

I C O D I C E S I

1296

*Kados, kados, kados: El Sabaoth**Agios, agios, agios: kirios, o Theos, ton Stration;*

Georgius, non Gregorius, ut quidam, Benignus, aliis Syracusanus, aliis Ragufinus, aliis generatim Epirota vel Illyricus, sed *Sebastiano Dolci* in *Fastis lit. Ragufinis* p. 24. *Bosniensis* ex familia *Dobrotich*, unde se *Benignum* dixit, cognomento *Salviatus* a *Salviatis Florentinis*, O. M. primum *Callienis*, ut vidimus, *Episcopus*, dein *Archiepiscopus Nazarenus* varia scripsit, quae habes in *Mongitoris Bibl. Sic. append. ad T. I. Ughellii Italia Sacra* T. II. col. 906. *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. edit. Patav.* T. III. p. 33. Item in *Montfauconii Bibl. Bibl. Mss. Lamii Cat. Codd. mss. Bibl. Riccard.* p. 208. *Bandinii Cat. Codd. Lat. Bibl. Laur.* T. I. p. 468. III. p. 214. Ex his tamen typis excusa non novimus, nisi *Propheticas Solutiones*. Florentiae. 1497. 4. *Librum de Natura coelestium Spirituum*, quos *Angelos* vocamus. Florent. 1499. f. *Septem et septuaginta* in opusculo *Magistri Nicolai de mirabilibus reperta Mirabilia*. Ibid. f. a. 4. et *Defensionem Joannis Reuchlini*. f. l. 1517. 4. In hoc ultimo Opusculo Contemplationum nostrarum ita meminit: *Ille ego, qui cum Callienis essem Episcopus, et sanctae Crucis Cardinalis Reuerendissimi, sedisque Apostolicae Legati meritis vestigia sequerer, Germanicas Contemplationes, quarum altera de Christianae victoriae ve-*

xillo, altera de *Virginis Matris assumptione mirificos Tractatus* continebat, edidi. Nunc *Romae Archiepiscopus Nazarenus* existens &c.

CCCXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. 764 XII. Folior. 89. 8. luculente exaratus, rubricis distinctus et olim *Sanctae Margarete in Osterbouen*, quod ab a. MCXXVII. nobile in *Bavaria* *Canonicorum D. Norberti* Collegium fuit, complectitur sequentia: I. *Incipit Acervus Testimonii De Uirginitate Partus Beatae Mariae*. Initium Prologi: *Leetor Diuinorum non tam pompam uerborum quam rerum ueritatem in his que dicuntur perpendere debet. &c.* Occasio scribendi mox ita exponitur: *Est questio de beate Marie partu. utrum christum more aliarum feminarum genuerit. scilicet quod illius naturae contumelias passa fuerit. an sicut conceptus ita et partus diuinus extiterit. Sed unde in questionem hoc uenerit. causa haec est. Libellus sancti ieronimi de uirginitate beatae marie contra heluidium quem eatenus usque id temporis non uideram nec legeram. uenit in manus. Legi. placuit. quia eandem ydram in profanis capitibus suis strenue ac irrecuperabiliter suffocauerat. Ueruntamen in ultima eiusdem monstri capitis succisione reliquit germen. unde simpliciores*

1297

D O G M A T I C I

1298

pliciores scandalizari possunt. in quo consentire uidetur errori eiusdem heluidii. fateor ego quoque cum uenisssem id loci. hesi. Cumque diu mecum agitasssem. tandem apud me diffiniui. aut me non intelligere. aut ieronimum peius heluidio errasse. Credere tamen non poteram. presertim cum ipse sibi omnino super hac re contrarius alias inueniatur. sicut post uidebimus. Cepi ergo uoluere et medicare sententiam. quomodo potui. tandemque uisum est mihi. ieronimum hec concessiue. non affirmatiue dixisse. Nolui enim sententiam precipitem dare. Que sint autem de quibus dico. posito utriusque heluidii et ieronimi capitulo post uidere est. Et quibusdam interjectis de Opusculi sui Titulo, quem ab Acervo Lapidum, quo obrutus est Achan Jos. C. 7. mutuatus est, proponit dicta Capitula deprompta ex Hieronymi L. contra Heluidium sub finem a verbis: Nunquid non quotidie &c. usque ad verba: Nec hoc ideo dicimus &c. quae in edit. Vallarsii habentur Opp. Hier. T. II. p. 226. nm. 18. 19. Offendunt porro Nostrium in his verbis ea, quibus Hieronymus innuere uidetur, claustrum Virginitatis Mariae in partu violatum fuisse, quod ante illum jam aduerterat Idelfonsum Tolet. cujus locum prolixum e Serm. de Parturitione et Purificatione S. Mariae subdit pag. cit. Vallarsius, quiue eo redit, ut ostendat, Hieronymum ea solummodo figura usum fuisse, quam Rhetores Concessionis adpellant. Atque id

textum ejus expendenti satis liquet, ut adeo nimium morose tricetur cum eo Noster, qui tandem relicto Hieronymo Lapidem in Heluidium jacere orditur; sunt vero hi totidem Testimonia, videlicet Lapis Mariae, Aaronis, Salomonis, Esaias, Ezechielis, Danielis, Gregorii Papae, Augustini, Hieronymi, Leonis Papae, Ambrosii, Graeciae PP. nempe Graecorum in globo, quae omnia ratiocinio suo illustrat, et demum Lapidem suum adjicit ita de Heluidio concludens: Igitur cujus culpam (patris Cham) presumpsit. eius maledictionem merito in eternum sustinebit. Amen. II

II. fol. 18. p. 2. Erasmo lineae principio, quod fortasse Autoris nomen indicabat: de eodem libello ad Adelbertum Pataviensis ecclesiae uenerabilem archidiaconum. Nulla Adelberti hujus in Hansizii Germ. sacra mentio. Inuenio tamen Monum. Boic. Vol. XII. p. 339. Chartae cuidam Osterhoviensi subscriptum a. 1155. Ottonem Archidiac. Patav. et p. 344. alteri chartae a. 1172. Gotpoldum itidem Archidiac. Patav. In charta priore Ottonem continuo excipit Albertus Presb. et Sacrista Patav. Fieri itaque potuit, ut hic Albertus siue Adelbertus inter Ottonem et Gotpoldum ad Archidiaconatum eveheretur, unde tempus, quo controversiam suam agitavit Noster, manifestum fieret. Hic porro sic orditur: Domino A. Sanctae Pataviensis ecclesiae archidiacono: Ille. orationes et cor. Quis sim ex sumpta

sumpta materia cognoscetis. Dicere me nolui. ne propter nomen istius temporis. et personam que nulla in me est. quod scribo. per se uile magis uilesceret. &c. Crabrones nempe sibi priori Scripto excitauerat, fuereque, ut narrat, qui illud igni damnassent, nisi Adelbertus obstitisset. Nominat inter Adversarios Gregorium quendam medicum monachum, atque se Libellum ei Apologeticum rescripsisse, quem quia cum festinantia fudi. sine titulo dimisi. Hic sic incipit. Nullus. nulli. nichil. &c. De hoc postea. Hic interrim

III. fol. 22. Incipit Palinodia. quod indignus et peccator diuina et sancta scribere presumpsit. Initium: Quod incorrupta. quod immaculata. quod virgo in partu beata maria permanserit &c.

IV. fol. 31. p. 2. Item Palinodia super eodem ad spiritum sanctum. Initium: Audiam quid loquatur in me dominus deus. Domine sancte spiritus. tu es dominus deus &c. Adhaeret et Oratio ad spiritum sanctum.

V. fol. 41. Item Palinodia ad beatam mariam. Initium: Quid loquar? Cui loquar? Domina ad quam scribere &c. Nimium, si quid video, paratragediat Noster in argumento, in quo communis Ecclesiae sensus alioqui pro eo facit, ut videre est apud Petavium Theol. Dogm. T. VI. L. 14. cc. 5. 6. Sed nondum satis.

VI. fol. 53. p. 2. sequitur Libellus Apologeticus supra dictus contra Gregorium, cujus Prefa-

tio uel Epistola, ut pariter dictum, incipit: Nullus. nulli. nichil; Libellus uero ipse: Igitur coniectis oculis in liminarem scriptorum tuorum paginam sursum in extremo margine ejusdem pagine separatim scriptum uidi. Sancti spiritus assit nobis gratia. Dubitavi an esset penne probatio. an scriptoris inuocatio &c. Vides acutum esse Απολογητην nostrum; addo et pro aevo suo literis sacris et profanis egregie excultum, quod frequens PP. item Aristotelis, Horatiique usus probat. Frequenter Adversario illud ingerit: Si quid mordacius scribo. philosophi patientiam probo. Ita finit etiam: Si quid mordacius scripsi. patientiam philosophi probavi. Ceterum haec de Modo virginei Partus Controversia jam Sec. IX. agitata fuit inter Paschas. Ratbertum et Ratramnum Corbejenses, quorum Opuscula habes in Dacherrii Spicil. edit. Paris. 1723. f. p. 43. et p. 52. Posterior Nostro contrarius in Germania ortam ait.

VII. fol. 67. In Assumptione S. Mariae V. Sermo hic incipit: Dies iste dies laudis est. Laudis autem huius causa est beata uirgo maria &c. et finit: ad hanc beatitudinem participandam adiua nos Mater dei. Amen.

VIII. fol. 75. Sermo in natiuitate S. Mariae V. Initium: Hoc mare uisibile et nauigabile habet multa discrimina &c. Abrumpitur uero in his uerbis: qui puluis pigmentarii est. quod de spiritu sancto conceptus — —. Hos Sermones

putem

1301

D O G M A T I C I

1302

putem innuere Nostrum, dum supra in Praef. ad *Adelbertum* ait: *quedam alia que de beata maria scripsi. que adhuc in scedis sunt. uobis examinanda tamquam quintilio uel aristarcho libens offeram.* Prolixior fui in recensenda hac Sylloge, quod penitus ignotam arbitror. Atque utinam Autoris, qui fortasse Sodalis *Osterhovianus*

Simpliciter fusa te non moueat mea musa.

Arte uel ex usu bene nescio ludere uersu.

Est humilis musa. sed compensat pia causa.

Sunt mea materia mensę christi sacra diua &c.

Traditur Doctrina de Transsubstantiatione; *Titulo* autem *penult.* dicitur solum Corpus Domini sine Calice tantum dari In-

Ipsę carens alio sacro quocunque ministro.

Ceterum:

Quando potest fieri debent simul utraque sumi.

Titulo ult. de solo Calice absque Pane haec leguntur:

Accipitur uere christus totus sub utroque.

Assunt infantes baptizati modo testes.

Corpus percipiunt. quod solo sanguine sumunt.

Ad reliquam speciem quod habent necdum bene dentem.

Igitur et *Communio Laicorum sub utraque Specie*, et *Infantum Communio* Seculo XII. etiamnum in usu fuit, deinceps ob varios abusus intermitti coepta a quibusdam Ecclesiis, dum a *Latina* penitus abrogaretur, *Bohemis* Sec. XIV. reclamantibus, ut notum.

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

fuit, nomen Codex quispiam alius proderet! Sed nempe vereor, ne noster fit *unicus*.

IX. fol. 83. alia manu, et alio Autore, ut quidem stilus suadet, absque Inscriptioe primaria, sed titulis miniatis interstinctum *Carmen* de Corpore et Sanguine Christi, cujus ingressus:

firmis, aut quando in Festis unus est Plebanus, qui Sacramentum distribuat

CCCXXXIV.

Codex chartaceus, lat. Sec. 827 XVI. Folior. 164. 8. minute exaratus constat his partibus: I. Collectis Patrum et piorum Scriptorum testimoniis, *quod Maria conceperit, pepererit, permanferitque virgo.* Videntur collecta

G

ab